

VII

AD MVNATIVM PLANCVM CONSVLAREM

*Heroico-Alcmanius*

Laudābunt aliī clāram Rhodon, aut Mytilēnēn,  
Aut Epheson, bimarise Corinthī  
Moenia, vel Bacchō Thēbās vel Apolline Delphōs  
Īnsīgnēs, aut Thessala Tempē ;  
Sunt quibus ūnum opus est, intāctae Palladis urbem  
Carmine perpetuō celebrāre, et  
Vndique dēcerptam frontī praepōnere olīvam ;  
Plūrimus in Iūnōnis honōrem  
Aptum dīcet equīs Argos, dītēsque Mycēnās.  
Mē nec tam patiēns Lacedaemōn,  
Nec tam Lārīsae percussit campus opīmae,  
Quam domus Albunae resonantis,  
Et praeceps Anīō, ac Tīburnī lūcus, et ūda  
Mōbilibus pōmāria rīvīs.  
Albus ut obscūrō dēterget nūbila caelō  
Saepe Notus, neque parturit imbrēs  
Perpetuōs ; sīc tū sapiēns finīre mementō  
Trīstitiam vītaeque labōrēs  
Mollī, Plance, merō ; seu tē fulgentia sīgnīs  
Castra tenent, seu dēnsa tenēbit  
Tīburis umbra tuī. Teucer Salamīna patremque  
Cum fugeret, tamen ūda Lyaeō  
Tempora pōpuleā fertur vīnxisse corōnā,  
Sīc trīstēs affātus amīcōs :  
‘Quō nōs cumque feret melior fortūna parente,  
Ībimus, ō sociī comitēsque !  
Nīl dēspērandum Teucrō duce, et auspice Teucrō :  
Certus enim prōmīsīt Apollō  
Ambiguam tellūre novā Salamīna futūram.  
Ō fortēs, pēiōraque passī  
Mēcum saepe virī, nunc vīnō pellite cūrās :  
Crās īngēns iterābimus aequor.’